

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Disputatio theologica de gratia dei eiusq. effectis

Lorichius, Jodocus

Linnius, Paulus

Friburgi Brisgoiae, 1604

[urn:nbn:de:bsz:31-138595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138595)



80A
8924R

85A 8524R

Disputatio Theologica
DE
GRATIA DEI,
eiusq; EFFECTIS: Quæ sunt
IVSTIFICATIO, ET MERITVM
IN BONIS OPERIBVS.

Ad quam
PRÆSIDER. ET CLARISS.
VIRO, DN. IOD: LORICHIO, S, THEOL.
DOCT. ET PROFESSORE: RESPONDEBIT
*ven. & doctiss. vir. M. Paulus Linnius, Mosella
nus, Canonicus ad S. Bartholomæum Franco-
furti ad Menum, S. Theologia
Candidatus:*

AD DIEM XXVI. MARTII ANNI
HVIVS M. DCIV. IN THEOLOGORVM
Auditorio, horis antemeridianis Pro conse-
quendo Baccalaureatu Biblico, à R. Theol.
Facult, in Academia Fri-
burg. Brisg.
2 Corint. 6.

Aduuantes autem exhortamur, ne in vacuum Gra-
tiam Dei recipiatis.

FRIBV RGI BRISGOIÆ,
Excudebat MARTINVS BÖCKLERVS.
Cum Facultate Superiorum.

Anno M. DCIV.

*Imprimatur
in his memoriam I. D. an*

80 A 8924R

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Z
v



REVERENDISSIMO, ILLV-
STRISSIMOQUE PRINCIPI AC
DOM. DN. IOAN. SVVICCARDO AR-
chiepisc. Mogantino, S. Rom. imperij per
Germaniam Archicancellario, Principi
Electori &c. Domino suo Cle-
mentissimo.

Magnum esse GRATIÆ
Dei donum, quod Deus
per unigenitum suum fi-
lium, Dom. nost. IESV-
M CHRISTVM, Saluatorem
Mundi, omnibus in ipsum credenti-
bus impertiri dignatus est, Reueren-
dissime & Illustrissime Princeps, S.
Joan. Euangelista paucis verbis testa-
tus est, dicens: Lex per Moysen data
est, Gratia & veritas per IESVM
CHRISTVM facta est.

Hanc Gratiam Dei unâ nobis-
cum magnoperè predicant, qui Eccle-
siae Dei catholica aduersantur. Nos
A 2 quidem

quidem verè, illi fictè. Propterea namq̃
nos Dei gratiam agnoscimus, prædica-
mus, extollimus, quòd per eam à sordi-
bus peccatorum purgati, à seruitute
diaboli, & eterna damnatione libera-
ti, sanctitatis ac iustitiæ donis interius
repleti, & ad vitam eternam prome-
rendam, potestatem viresq̃ accepimus.
De quibus uniuersa scriptura sacra
passim copiosissimè testatur, & instruit:
& nos huius Disputationis Thesisibus
breuiter complexi sumus.

*Cux men-
tir is* Aduersarij autem Ecclesie, Gra-
tiam Dei propterea potissimum com-
mendant, quòd per eam non solum à
diaboli seruitute & eterna damnatio-
ne, sed ab omni etiam obseruatione
mandatorum Dei, seu obligatione fa-
ciendorum operum bonorum, libera-
tos se dicant, & per solam fidem in Chri-
stum Dominum nostrum (tamei si in
peccatis

DEDICATORIA.

peccatis maneant, nullaq^{ue} bona opera habeant) vitam eternam consequantur. Hanc prauam ac perniciosam GRATIAE Dei interpretationem perditorum Christianorum prouidens B. Apost. Petrus, serio monuit dicens: Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut serui Dei. 1. cap. 2. sic & Apost. Paulus, Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum Gratiam Dei accipiat. Id est, ne sitis otiosi, sed exerceatis vos continue in multis operibus bonis; quae ipse ibidem prolixè recenset. 2. Corint. 6. Plenius autem eandem Adversariorum otiosam, detestabilemq^{ue} libertatem refellit idem B. Apost. ad Romanos scribens. Peccabimus, inquit: quoniam non sumus sub lege, sed sub Gratia? Absit. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obe-

A 3 diendum

EPISTOLA

diendum; serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratia autem Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae in qua traditi estis; Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.

Et sanè, (quod absit cogitare nedum dicere) frustra Dominus, ac saluator noster, eiusq; Apostoli, tam multos labores in prædicando Euangelio subyissent: frustra Deus ab initio mundi usq; in hodiernum diem tam multa ac magna pro salute hominum operaretur; si eis per solam fiduciam in Christi Domini passionis merita, absq; omnibus iustitiæ Christianæ operibus, æterna beatitudo contingere posset.

Ordinauit Deus ut omnes res per virtutem naturalem quam eis indidit,
semperq;

DEDICATORIA.

semperq̄ conseruat, fructificarent quot-
annis ad necessitatem, utilitatemq̄
hominis; quomodo ergo hominem si-
neret otiosum, nullumq̄ fructum feren-
tem? An ignorant miseri aduersarij
Christum Dominum dixisse de huius-
modi otiosis hominibus: Omnis ar-
bor quæ non facit fructum bonum exci-
detur, & in ignem mittetur. Itaq̄ si-
cut omnes res naturales fructificant ho-
mini: ita homo debet fructificare Deo,
in omni sanctitate & iustitiâ seruiendo
ipsi omnibus diebus vitæ suæ. Eo enim
à Deo non solum creatus, sed & redem-
ptus, sanctificatus, & gratiâ Dei reple-
tus est.

Pudeat ergo aduersarios Catholi-
cæ Religionis nostræ, suæ contra Deum
in gratitudinis, quòd pro tam multis
ac magnis beneficijs ab eo acceptis; ni-
hil ei vicissim rependere velint aliud,
quàm

EPISTOLA

quàm otiosam quandam fiduciam in
 eius misericordiâ multis criminibus,
 (u. men
 h. 15) Et obstinatâ voluntate peccandi pollu-
tam. Nos vero ut obedientes filij &
 grati, in spe misericordia eius offera-
 mus ipsi laudes, gratiarum actiones,
 sacrificia, pia vota, opera dilectionis
 erga proximum, & quicquid est aliud
 virtutum ac bonorum operum. Id
 enim placitum est Deo, ut ex huius di-
 sputationis Thesisbus latius cognosci
 poterit. Quas ob id Reuerendissima
 Illustrissimaq; Celsitud. V^{ra} inscribere
 non erubui, quòd ipsius Prædecessor, sel.
 record. me hoc tempore, haud meâ cul-
 pã desolatam, clementissimè complecti,
 & fouere non dedignatus sit: ut debi-
 tũ gratitudinis obsequium, saltem ali-
 quatenus erga R. & Illustriss. Celsitud.
 V. tamquam ipsius dignissimum suc-
 cessorem, ac velut heredem, humili-
 mè de-

DEDICATORIA.

*me declararem: Eidemq² me, meamq²
causam simul commendarem: enixissi-
mè sperans, Eandem Celsitud. V^{am}. me pa-
ri clementiâ complecti, fouere, defendere,
promouereq² non dedignaturam, Vicif-
sim R^{ma}. Ill^{ma}q² Celsitud. Vestra omnem
gratiam ac benedictionem à Deo, quanta
valeo mentis deuotione exopto, vt am-
plissimo muneri, quod diuinâ ordinatio-
ne in Ecclesiâ eius accepit, abundè suffi-
ciat, & ad annos multos deinceps quàm
felicissimè prest. Datum Friburgi Bris-
goia XX. Mensis Martij. M. DC IV.*

Reuerendissimæ Ill^{ma}q² Celsitud,
Vest. Humilimus Sacellanus.

*M. Paulus Linnius, presbyter & Canonicus,
Ecclesia collegiata ad S. Bartholo-
meum Francofurti.*

B INDEX



INDEX LOCORVM HVIVS
DISPVATIONIS.

Primus, de nomine & definitione
Gratiæ,

Secundus, de causa Gratiæ.

Tertius, de variis nominibus ac dif-
ferentiis Gratiæ Dei,

Quartus, de effectis Gratiæ Dei.

Quintus, de augmento Gratiæ,

Sextus, de notitia Gratiæ Dei in ho-
mine.

Septimus, de gratiis gratis datis.

Octauus, de merito in bonis ope-
ribus.

*Theses hæc cum doctrina Catholicorum consentiant;
& qua de Gratia ab alijs copiose dicuntur; ita strictim
attingunt; ut se tamen legentis animus referat ad uni-
uersa que sunt huic argumento coniunctiora.*

Ioan. Andreas Zimmerman S. Theol. Doct. &
Professor ordinarius in Acad.
Friburgen. Brisgoiæ.

Disputatio



Disputatio Theologica
DE GRATIA DEI.
LOCVS PRIMVS DE NOMINE
& definitione Gratia.

THESIS I.



RATIA videtur dicta à voce gratia, iuxta illud Apost. si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia. Rom. 11.

Gratia unde dicta.

II.

Gratiæ autem nomen inuenitur accommodatum ad quatuor rerum, actionumq; genera. Partim enim usurpatur pro fauore superiorum erga subditos: partim pro dono gratis dato: partim pro gratiarum actione: partimq; pro indulgentiâ, ac condonatione pænæ commeritæ.

Gratia accedens.

III.

Communitè verò Gratia Dei, quæ per Christum nobis facta est, significat gratuitum Dei donum, quod animabus hominum communicatur, & immittitur.

IV.

Atq; hac significatione, GRATIA Dei est qualitas seu donum supernaturale, immissum in hominis animam, per quod ipsa sanctificatur, Deo

Gratia definitio.

B. 2 reconciliatur,

DISPUTATIO DE

reconciliatur, & regno Dei apta efficitur, & vires accipit ad ea, præstanda quæ ad ingressum regni cælorum sunt necessaria.

V.

Hæc Gratia non est per se ipsam virtus spiritalis, sed earum radix ac principium, ex qua fiunt. ita dixit Apost. Et Gratia eius in me vacua non fuit. I. *Corint. 15.*

VI.

*Gratia Dei
vsus.*

Hæc Gratia animæ essentiæ fidelis hominis immittitur, eamq; emundat à maculis peccatorum, & formaliter, vereq; sanctificat.

VII.

Deindè diffundit suam vim in omnes animæ potentias; Intellectum, Voluntatem, Memoriam; easq; aptas reddit ad credendum in Deum, ad diligendum eum, & in ipso sperandum. Quo factò etiã potentiæ sentientes in meliorem statum rediguntur, vt Rationis imperio facilius obtemperent.

LOCVS SECVNDVS DE
caussa Gratia.

VIII.

*Solus Deus
autor Gratia*

GRATIA isthæc à nemine alio dari aut haberi potest quam à solo Deo. Quia gratiam & gloriam dabit Dominus, *Psal. 83.*

IX.

Vt autem Deus Gratiam hanc suam hominibus communicet, facit obedientia & meritum Domini nostri, vt Redemptoris Mundi, & Mediatoris inter Deum & homines, Com-

GRATIA DEI.

X.

Communicat verò Deus hanc gratiam hominibus, quandoq; extra Sacramenta, cum se homo peccator ad ipsum mente conuertit: quandoq; non nisi per Sacramenta.

XI.

Et quibusdam eam communicat confestim. vt Magdalenz, Latroni in cruce, Apost. Paulo. & similibus. Quibusdam autem non ante pœnitentiam, invocationem eius, motus spei & amoris in ipsum, & susceptionem Sacramenti. Quæ tamen in peccatore esse non possunt, sine præuio Dei auxilio. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corint. 3. Ita vt omnibus modis Gratia Dei detur gratuito; non ex aliquibus hominis meritis.

XII.

Quæ omnia ita ordinantur & fiunt à Deo, quia ipse Dominus omnium est: & spiritus, qui spirat vbi vult, & prout vult. Ioan. 3. & 1. Corint. 12. Proindeq; & maiorem dat vni Gratiam, quàm alteri.

LOCVS TERTIVS DE GRATIAE DEI
varijs nominibus, ac differentijs.

XIII.

Gratia Dei alia dicitur gratum faciens: alia gratum data. Gratum faciens gratia est illa de qua hactenus diximus; videlicet Spirituale donum Dei Sanctificans animam, eamq; Deo gratam reddens. *Gratia gratum faciens.*

B 3 Gratia

DISPUTATIO DE

XIV.

Gratia gratis data.

Gratia gratis data est, quoddam donum supernaturalē, quod datur quibusdam ad iuuandum alios in his quæ ad animarum salutem pertinent. Ceu sunt donum scientiæ, donum linguarum, donum faciendi miracula &c.

XV.

Hæc dona habentes non iustificat interiùs, neq; Deo gratos reddunt. Quod Christus Dominus noster ostendit: quando eos qui in nomine eius prophetarunt, & dæmonia eiecerunt, à regno Dei excludendos prædixit. Math. 7.

XVI.

Gratia operans.

Rursus dicitur Gratia Dei alia operans, alia cooperans. Operans gratia est Dei auxilium vel donum, quod hominis mentem mouet ad quærendam & suscipiendam Gratiã perfectã, vt in Thef. vndec. declaratum est.

XVII.

Gratia Cooperans.

Cooperans Gratia est illa quàm Thefi quarta definiuimus, quatenus hominem perficit, & ad benè operandum in lege Domini adiuuat.

XIX.

Potest nihilominus etiam operans Gratia dici, ipsius Gratiæ perfectæ seu gratum facientis actus primus, quo sanctificat animam, Deoq; gratam reddit. Cooperans verò eius actus secundus quo perficit potentias, tribuitq; facultatem operandi meritorie apud Deum.

Præterea

GRATIA DEI.

XIX.

Præterea Gratia Dei quandoq; dicitur præ- *Gratia præ-*
ueniens, quandoq; subsequens. Præueniens aliquan- *ueniens.*
do accipitur pro auxilio Dei prævio, de quo in vñdec.
Thesi. Aliquando pro primo actu Gratia iustifican-
tis, qui est sanctificatio animæ. Subsequens Gratia *Gratia sub-*
accipitur nunc pro tota Gratia iustificante, seu gra- *sequens.*
tum faciente: nunc pro eiusdem secundo actu, qui
facit hominem velle bonum, illudq; efficaciter ope-
rari, & perseueranter, atq; ad cælestem gloiam con-
tendere.

XX.

De hac distinctione Gratia locutus est olim
propheta Dauid, dicens misericordia eius præueniet
me Psal. 58. Et misericordia tua subsequetur me om-
nibus diebus vitæ meæ Psal. 22. Etenim misericordia
& Gratia Dei idem sunt.

AMOTATIO.

*Gratia habitualis & actualis, suffi-
ciens & efficax, sunt vnus Gratia
accidentia & gradus, non distincta
species.*

LOCVS QVARTVS DE EFFE-
ctis Gratia Dei.

XXI.

GRATIA effectus generales sunt duo: alter *Gratia effec-*
Iustificatio *ctus duo.*

DISPUTATIO DE
Iustificatio impii, alter meritum in bonis operibus.

XXII.

*Iustificatio
impii.*

De priori ait Apost. Iustificati gratis per Gratiam ipsius. Rom. 3. Etenim Deus solus est qui iustificat seu iustificationem efficit: sed per Gratiam suam, quam in hominis anima producit; & hæc est ipsa essentia iustificationis in homine,

XXIII.

Cum hoc effectu Gratiz coniuncta sunt detestatio & remissio peccatorum, hominis totius interior renouatio, reconciliatio, cum Deo, Fides, Spes, Charitas in Deum, Iustitia Christiana, &c.

XXIV.

*Meritoria &
Biones.*

Hoc ergo modo homo peccator iustificatus, vt de posteriori effectu Gratiz loquamur, amicus Dei constituitur, ita vt grata & meritoria sint æternæ beatitudinis eius opera bona, quæ facit secundum voluntatem eiusdem Dei.

XXV.

Nam si homo in peccatis sciens perseverat, utique Dei inimicus est. Ideo q; tamen multa opera bona fecerit, non erunt meritoria apud Deum ad vitam æternam.

XXVI.

Quippe nec apud homines inimicorum dona suscipiuntur, si inimicitias porro fouere velint, Maioris enim pretii est animorum coniunctio, quam fructus munerum.

LOCVS QVINTVS DE
augmento Gratia.

Augetur

GRATIA DEI,

XXVII.

Augetur etiam Gratia Dei in homine per studia *Modus aug-*
& actus pietatis, vt fiat in ipso feruentior ac intenfor, *menti,*
magisq; animam velut repleat, atq; in se transmutet;
haud secus atq; ignis ferrum facit ignitum.

XXIIX.

Et dum Gratia Dei in homine ita augetur, etiã
intellectus, voluntas, cæteraq; potentia eius magis
aptantur, perficiunturq; ad cognoscenda, amanda,
obseruanda mandata Dei.

XXIX.

Atq; hæc augmenta in piis hominibus continuè *Gratia Dei*
fiunt: nec tamen in hac vita ad summum gradum *nuncquam*
peruenire possunt, cum augeri possint in infinitum, *ad summum*
quod in hac vitã nemini contingit. Ita Apostol. *gradum au-*
Paulus de se ipso testificatus est. Fratres, ego me non *getur in hac*
arbitror comprehendisse: vnum autem, quæ qui- *vita,*
dem retrò suat, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt pri-
ora extendens meipsum, ad destinatum persequor,
ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu,
Philip. 3.

LOCVS SEXTVS DE NOTITIA

Gratia Dei in homine:

XXX.

Didicimus expræcedentibus, Gratiam Dei esse *Gratia Dei*
donum spirituale diuinitus datum: proinde huma- *non videtur*
nis sensibus percipi non potest. *oculis cor-*
porum.

XXXI.

Nam quod actus Religionis Christianæ exterio-
res attinet,

C

res attinet,

DISPUTATIO DE

res attinet, possunt pleriq; pari industria, alacritate, assiduitateq; fieri à peccatoribus, atq; iustis.

XXXII.

*Peccatores
occulti.*

Et ne putes peccatores facile discerni à iustis posse; memineris esse multos peccatores occultos, quos nos arbitramur iustos. Qui nisi orent cum Dauide: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Psal. 18. vel cum Apost. Paulo: Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. 1. Corint. 4. non accipiunt Gratiam à Deo.

XXXIII.

*Cur Gratia
Dei occulta.*

Voluit autem Deus notitiam Gratiae in hominibus occultam esse, ne aut de ea superbirent: aut securiores redditi, eam citius amitterent. Quoad enim se eam habere nesciunt, non cessant sic vitam suam instituere, vt semper ipsam vel eius augmentum mereantur accipere. Ob idq; volens scire se esse in gratia apud Deum, committit peccatum graue curiositatis circa res diuinas occultas.

XXXIV.

*Signa Gratiae
Dei probabilia.*

Sunt nihilominus quaedam probabilia, non euidencia, neq; certa signa Gratiae Dei in homine, videlicet si oderit huius mundi delirias ac voluptates: Si delectetur studiis & actibus Christianae pietatis: & exerceat se in operibus misericordiae erga proximos.

XXXV.

*Certa notitia
Gratiae Dei
ex sola eius
reuelatione
habetur.*

Certitudo verò Gratiae Dei in homine, aliunde haberi non potest, quam ex speciali reuelatione Dei: quae paucis contingit, illis praefertim quos Deus ad magna

GRATIA DEI.

magna officia in Ecclesia gerenda elegit. Cui fuerunt Moyses, Abraham, Iacob, Isaias propheta, Paulus Apost. & horum similes.

XXXVI.

Hoc autem propterea Deus fecit, ut magna ista officia constantius, alacrius, & aduersus omnes tribulationes animosius gererent: nec terrentur periculis mortis, si propterea tolleranda essent.

XXXVII.

Quæ cum ita sint, quis non detestetur stupiditatem prophanorum hæreticorum nostri temporis; quod cum non negent, sed fateantur, ac tantum non gloriantur, se peccatores manifestos esse, ut reuera sunt; tamen non vereantur os suum ponere in cælum, & dicere se certos esse de fauore Dei in ipsos propter Christum. Quippe Gratiam Dei pro solo exteriori fauore pueriliter accipiunt.

In hereticorum impiam fiduciam.

XXXIIX.

Scimus autem & confitemur nos secundum scripturas sanctas, Deum omnia sua dona nobis largiri propter Christi merita: sed scimus quoq; non velle ipsum ea dare pigris & otiosis, multò minus petulantibus, & obstinatis peccatoribus, Renouamini ait Apost. spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis. Ephes. 4. Et in maleuolam animam non introibit sapientia, (quæ idem est quod gratia Dei) nec habitabit in corpore subdito peccatis, Sap. 1.

Gratia Dei quibus detur.

XXXIX.

Certum quidem est Deum non negare suam

C 2

Gratiam

DISPUTATIO DE

Gratiam petentibus: immò ipsum etiam incitare homines ut petant, & legitimè petant: sed quis dicet aut dicere audeat, se legitimè petiisse. Quis poterit dicere (ait sapiens) mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prouerb. 20.

XL.

*Signum eu-
dens Gratia
Dei in nobis.*

Sanè Iohannes Euangelista & Apost. volens nobis tradere doctrinam, quomodo scire possimus nos in gratia apud Deum esse, scripsit: Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. 1. Iohan. 3.

XLI.

Videant prophani & stupidi hæretici, quàm longissimè absit ipsorum temeraria & pestilens persuasio, de certitudine fauoris diuini, & salutis æternæ consequendæ, ab hac S. Euang. & Apost. doctrina & regula: tandemq; ad mentem saniozem redeant.

LOCVS SEPTIMVS, DE

Gratiis gratis datis.

XLII.

*Numerus do-
norum Gra-
tia gratis
datæ.*

Facta est in præcedentibus Thesisibus mentio de Gratiis gratis datis: idcirco hîc de iisdem explicatius tradendum. Sunt autem harum Gratiarum seu donorum Dei, ut ab Apost. Paulo 1. Coriut. 12. numerantur, Nouem. Videlicet. 1. Fides. 2. Sermo Sapientiæ. 3. Sermo scientiæ. 4. Gratia Sanitatum. 5. Operatio virtutum. 6. Prophetia. 7. Discretio Spirituum. 8. Notitia

GRATIA DEI.

8. Notitia linguarum. 9. Interpretatio Sermonum!

XL III.

Ex his donis tria priora dantur his, qui alios docere debeat mysteria Religionis Christianæ, vt Fides, Sermo sapientiæ, Sermo scientiæ. Quatuor alia pertinent ad operationem miraculorum, per quæ doctrina Confirmatur. Marc. vii. Hæc sunt: Gratia sanitarum, operatio virtutum, Prophetia, & Discretio Spirituum. Deniq; duo postrema pertinent ad reliquorum omnium manifestationem.

Vsus horum donorum.

XL IV.

Fides namq; hîc donum est certæ cognitionis rerum spiritualium, quæ sunt velut principia doctrinæ Christianæ. Sermo sapientiæ est donum cognitionis diuinorum Mysteriorum, quod præstat facultatem ea mysteria explicandi quæ traduntur à SS. Evangelistis & Apostolis. Sermo scientiæ est donum cognitionis naturalium rerum, quatenus iuuant ad declarationem spiritualium mysteriorum.

Fides.

Sermo sapientiæ.

Sermo scientiæ.

XL V.

Deinde Gratia sanitarum est donum Curandi miraculosè morbos corporis. Operatio virtutum est donum quo fiunt miracula in terra, mari, nubibus, astris cæli. Prophetia est donum reuelationis futurorum contingentium. Discretio spirituum est donum cognitionis occultorum cordium.

Gratia sanitarum.

Operatio virtutum.

Prophetia.

Discretio spirituum.

XL VI.

Deniq; vt quis prædicta omnia ad communis Ecclesiæ utilitatem conuertere possit, necessarium est ei donum Notitiæ linguarum, seu diuersorum

Notitia linguarum.

Interpretatio sermonum.

C 3

Idiomatum

DISPUTATIO DE

Idiomatum scientia. Similiter & donum Interpretationis Sermonum, pro intelligentiâ scripturarum sanctarum, & aliorû scriptorum, vt cum fructu alios docere possit mysteria Religionis Christianæ.

XLVII.

Dictum autem iam antea est, hæc dona gratuita Dei non dari ad sanctificationem hominis, sed pro communi hominum vtilitate: quia nec omnibus dantur, neq; semper. Multi enim peccatores habent horum donorum aliqua ad tempus, donec Deus voluerit: multiq; iusti nullum eorum habent.

XLIIII.

*Quid inuent
ista dona ha-
bentem.*

Non sunt tamen prorsus alieni à Deo, quibus ipse hæc dona largitur: quoniam per ea allicit eos, vt citius se ad ipsum conuertant: ne cum aliis prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Quod ad omnes etiâ qui publica officia gerunt tam Ecclesiastica quàm ciuilia, accommodari potest.

LOCVS OCTAVVS DE MERITO IN
bonis operibus, quod est alter
effectus Gratia.

XLIX.

Diximus in præcedentibus effectus gratiæ esse duos, iustificationem impii, & meritum in bonis operibus, De priori antea tractauimus, superest vt de posteriori quoq; breuiter tradamus.

L.

*Meritum
quid.*

Est ergo meritum in bonis operibus, valor eorundem

GRATIA DEI

rundem apud Deum: quem valorem consequuntur ex gratiâ, quæ operantem gratum facit Deo. Et ex promissione Dei, qui vt misericors pater, & iustus ludex præmia decreuit benè operantibus: sicut è contrario suplicia infert iniquè operantibus.

LI.

Præter gratiam autem hanc Dei, ad meritum *Ad meritum* constituendum in opere bono, requiritur vt fiat *requisita.* eum ratione ac liberè: vt opus sit difficile: vt referatur ad gloriam Dei; seu fiat quia sic placitum sit apud Deum: & vt fiat in hac vitâ in fide Ecclesiæ Dei.

LII.

Valet autem huiusmodi meritum in bonis operibus apud Deum, ad vitam æternam, quæ est vltimus omnium finis: quoniam Deus eâ passim promittit benè operantibus. Matth. 19. & 25. Ioan. 5. 1. Corint. 5. &c.

LIII.

Valet etiam huiusmodi meritum in bonis operibus, ad augmentum gratiæ, & Christianæ iustitiæ: *Meriti valor.* in hac vitâ: vt in præcedentibus ostensum est.

LIV.

Non valet autem ad comparandam sibi iustificationem, neq; ad reparationem post lapsum: neq; ad perseuerantiam in bono statu: quoniam nondum iustificatus ac peccator nihil possunt mereri apud Deum secundum ordinem Iustitiæ: secundum ordinem autem misericordiæ Dei possunt aliqua impetrare, vt Paulo inferius declarabimus.

Neq;

DISPUTATIO DE

LV.

Neq; valet meritum in bonis operibus ad obtinendam alteri gratiam Iustificationis, aut reparationem post lapsum : aut perseuerantiam in bono statu: quia sunt dona Dei, quæ superant hominis meritum. Possunt tamen homines iusti ea dona sibi & aliis per orationem à Deo impetrare, secundum ordinem misericordix.

LVI.

Meritum bonorum temporalium.

Bona temporalia merentur iusti, quatenus eis sunt necessaria ad perficiendam iustitiam Christianã, & perfectam : tamen ob alias causas quandoq; Deus ea ipsis non largitur.

LVII.

E contrario multi non iusti quærentes ea bona temporalia iusto titulo humano, acquirunt ea : sed mergunt eos in perditionem ; propter peccata quæ cum acquisitione & retentione eorum frequenter coniuncta sunt.

LVIII.

Cæterum vnus quisq; tantam mercedem apud homines suis operibus meretur, quantum ipse qui præest communitati constituit. Cum ergo Deus toti mundo præsit : ipse vt iustus iudex etiam constituit laborantibus mercedem differentem, pro laborum diuersitate.

LIX.

Deus maiora premia dat, quam nos mereamur.

Nihilominus quia magnus & misericors Dominus est, multis, immò omnibus maiora dona largitur quam mereantur. Quod partim notum est ex parabola

GRATIA D'EI.

Parabola de laborantibus in vinea, Matth. 20. partim
ex parabola de Talentorum distributione. Matth.
25. partim ex aliis script. sac locis.

LX.

Ob eandem magnam Dei misericordiam, non
sunt contemnenda bona opera, quæ fiunt ab homi-
nibus peccatoribus: tamen si enim eis non valeant ad
obtinendam gratiam & alia de quibus antea: valent
tamen eis ad multa secundum ordinem misericordiæ
Dei.

*De operibus
bonis factis
in statu pec-
cati,*

LXI.

Videlicet 1. custodiunt cor hominis in timore
Dei. 2. Sufficiunt ad impletionem præcepti sine
novo peccato. 3. Aperiunt paulatim oculos mentis,
vt peccator suum malum statum citius agnoscat. 4.
valent ad acquisitionem virtutum moralium: vel
saltem ad habilitatem bona opera faciendi. 5. iuuant
ad resistendum malis affectibus. 6. impediunt ne pec-
cata peccatis addantur. 7. Exhilarant cor hominis
moderatè. 8. conseruant hominem in custodiâ An-
geli sui proprii, ne eum deserat. 9. merentur bona
temporalia. 10. merentur pænæ temporalis relaxa-
tionem. 11. Merentur pænæ infernalis mitiga-
tionem. 12. Deniq; omnia opera bona quæ va-
lent ex opere operato (vt sacrificium Missæ: Hora-
rum Canonicarum, aliorumq; officiorum Ecclesias-
ticorum recitatio aut decantatio: ieiunia, eleemo-
sinæ, & alia opera pietatis, secundum fidem & inten-
tionem Ecclesiæ facta) profunt aliquid vivis & de-
functis pro quibus fiunt; etiam à peccatoribus fa-
cta.

D Quamobrem

DISPUTATIO DE

LXII.

Quamobrem salutare est homines peccatores hortari ad facienda multa bona opera, tamen si necdum flecti possint ad conuersionem ad Deum & agenda penitentiam.

LXIII.

Haeretici hodierni quia hanc veram de gratia Dei, eiusque effectis doctrinam non habent: omnivento doctrinae circumferuntur, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. 2. Timot. 3.

F I N I S.

Laus Deo, B. MARIAE Virg.
& omnibus sanctis.

REVEREN-





REVERENDO ATq; DOCTISS.
VIRO DN. PAVLO LINNIO SS. THEOL.

CAND. AMICO SVO MVLTVM AMAN-
do lubens & merito Epigramma
hoc apposuit.

IOAN. FAVTSCHIVS MEDIC. DOCT.
& profess. Phys. Frib.

TErram terra petit: sic unda recurrit ad ingens
Oceani patris gremium: sic aura cauernis
Clausâ cauis aditum magno conamine quarit;
Donec ad aërias tandem peruenierit oras.
Sic quoq; syderios sursum volat ignis ad ignes,
Ecquid erit mirum, diuina particulam aure
Caelo lapsam, Animam in tenebris luctuq; trahentem:
Vitam, transactis fatiis & carcere rupto,
Hinc rursus affectare viam calumq; reuertit
Donec se latius gremio Patris inferat alis.



39 24849 2 031

